

Sermo Septimus.

LOCUSTOR ait, omnes creaturæ quas LUCAS descripsit, duæ sunt tantum, quarum altera nescitur nec describitur nisi pietate, non enim videtur nec sentitur. *Inquit Pythagoras:* rem coepisti, quam subtiliter descripsisti, si perficias. Notifica igitur quid est, quod non sentitur, & videtur, & scitur. *Resp.* Quod nescitur quod in hoc mundo est ratione, absque suis clientibus qui sunt visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Nonne videtis philosophorum Turba, quod non nisi visus albedinem à nigredine potest discernere, & quod non nisi auditus verbum bonum à malo idem potest discernere: Similiter bonum odorem à foetido nisi odoratu, ac dulce ab amaro, nisi gustu & leve ab aspero nisi tactu ratio discernere non potest. *Respond.* tractans benè dixisti, dimisisti tamen narrare, de ipso quod nescitur, nec describitur, nisi ratione & pietate. *Inquit,* festinatis? Scitote, quod creatura quæ nullomodo istorum 5. cognoscitur est creatura sublimis, quæ nec videtur, nec sentitur, sed tantum ratione percipitur, quæ ratione natura participans Deum esse faretur. *Responderunt:* verum & optumè dixisti. *Et ille:* adhuc magis exponam vobis: Scitote quod hæc creatura, mundus scilicet lucem habet quæ est sol, quæ omnibus subtilior creaturis, quam posuit lucem qua creaturæ, ad visum perveniunt. Ablata autem hac luce subtili, tenebrofa fuerit nihil videntes, nisi lunæ lucem, vel stellarum vel ignis quæ omnia à solis lumine derivata sunt, & creaturas lucere fecerunt. Huic igitur mundo Deus solem lumen esse constituit, propter tenuem solis naturam. Et scitote quod huius solis luce creatura sublimis non indiget, eo quod sol sit sub illa creatura, qui eo subtilior est, & lucidior. Nam autem lucem, quæ est solis luce subtilior, à Deo ceperunt luce, quæ est eorum luce subtilior. Et scitote quod creatus mundus, scilicet ex duobus densis, & duobus raris creatus est, & nihil densiorum sublimi inest creaturæ. Ideoq; à sole omnib. inferioribus est rarior creaturis. *Respondit Turba:* optumè descripsisti quod narraisti. Et si quid bone Magister dicas, quo corda nostra, quæ insipientia mortificavit, vivificas, magnum beneficium nobis largiris.

Sermo Octavus.

PYTHAGORAS *inquit:* dico DEUM ante omnia fuisse, cum quo nihil fuit, cum fuit: & scitote omnes philosophi quod idè hoc dico, ut opinionem vestram in his quatuor, roborem elementis & arcanis, & scientiis quæ in sunt, ad quæ nisi Deo

Id.
Quid quod
non ipse sensus
invenit.

De
Sol sub
creatura.
illa